



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 11. Dissidia Papam inter & Alphonsum Arragoniæ Regem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. A.C. 1456. **dericum** Imperatorem literis objectas rationes diluere conatus est. Æneas quoque Sylvius, cujus haud remissius, quam Papæ erat urgendæ adversus Turcas expeditionis studium, sat luculenter demonstravit, quam immerito summus Pontifex violati pacti cum Germanis sancti infimularetur.

*Æn. Sylv. in
Epist. 338.*

§. XI.

*Dissidia Papam, inter & Alphonsum
Aragonice Regem.*

Callistus, ne sacrae militiæ consilium optato frustraretur successu, sollicitè sibi Christianos Principes devincire studuit, eosque omni humanitatis studio prævenit. Ferme omnium ceterorum gratiam sibi certam habebat, solum si excipias Alphonsum, qui cum Pontifice crebras contentiones fovit ex eo, quod Callistus ipsimet Alphonso Beneventanum, & Terracinensem Vicariatum concedere, Ferdinando autem spurio ejusdem Regis Filio regni Sicillæ possessionem asserere recusaret: hanc repulsam adeo impatienti animo tulit Alphonsus, ut non satis haberet, quod Callisto per suum Oratorem natalium obscuritatem, ac multiplices favores eidem collatos, necnon impensum Nepotes suos evehendi studium exprobraret, sed etiam Henricum

ricum Castellæ Regem ad defectionem a Sæcul. XV.
 Callisto sollicitaret. Idipsum jam olim e- A C. 1456.
 gerat contra Martinum V. & Eugenium
 IV. summos Pontifices, dum Christianos
 Principes a debita eorum obedientia a-
 vertere conabatur. Verum cuncta hæc
 probra Callistus haud alio diluit responso,
 quam beneficiorum frequentia; ut vero
 Alphonso ostenderet, quam promptum
 haberet bona pro malis rependendi a-
 nimum, Purpuratorum Collegio adscri-
 psit Neapolis Archiepiscopum, qui Re-
 gi amicissimus, necnon Patruus erat cu-
 jusdam Fœminæ Neapolitanæ, quæ Lu-
 cretia vocabatur, & adeo insane ab Ar-
 ragonum Rege amabatur, ut si viduus
 fuisset, eam thori sui sociam fecisset.
 Quinimo referunt nonnulli, quod Al- Marian.
 phonsus Reginam legitimam conjugem Hisp.
 suam repudiare voluerit, illius sterilitatem lib. 22. c. 18.
 caussatus, eoquod ex ea nullos unquam
 liberos suscepisset.

§. XII.

Cardinales a Callisto Papa creati.

Hoc eodem anno Callistus Pontifex, bi- Raynald.
 nas habuit Cardinalium promotio- adhunc ann.
 nes, in quarum prima nonnisi tres crea- 1456.
 vit Cardinales, quos inter primus erat
 Joannes Ludovicus Milanus natione His-
 panus, summi Pontificis ex linea mater-
 na